OCTAVII FERRARII TVRBATÆ PALLADIS ARMA.

Prolusio XXXII.



PATAVII, M.DC.LXXV.

Typis Petri Mariæ Frambotti Bibliopolæ.

Superiorum Permissu.

Amplissimo ac Præstantissimo

SENATORI

BAPTISTÆ NANIO

EQVITI D. M. PROC.

Octauius Ferrarius Felicitatem.

CLypeum olim abiecisse militare flagitium fuit, capite expiatum: ut quidam eum, in prælio usque ad extrema seruatum, mortis solatium habuerint. Itaque mihi enitendum fuit, ne Mineruæ gestamen, inter Musarum manubias, Gymnasij vestri tholo appensum, hostium præda, spolium, & ludibrium esset. Quando illud, non sæua Gorgone minans, sed placida maiestate, fulgentissimo tuo, & Collegarum nomine irradians, prophani incurrere, ac violare ausi sunt.

Nemo enim posthac attollere oculos, & contra tueri audebit, quin eum illico renouati tituli iubar erumpens perstrin-

gat, ac perpetua nocte damnatum, obruat. Te Dea Arcitenens, studiorum Præses, eo ritu, quo vir virum legit, toties studiorum præsidem, Iouis cerebro edita, ingeniorum principem, Senatus mentem, & consilium constituit, tibique aduersus terræ filios prælium delegauit, non fulmine, sed solo nomine prostratos, matri redditurum.

Quod nomen mundus amat: quo sibi publica res placet: quod omnes Europæ Principes facundiæ, & prudentiæ miraculo capti, suspiciunt: cui summa æui ingenia fasces submittunt, eoque operum suorum fronti præscripto, famam sibi circundant: in quo denique literarum spes, & salus sita est.

Hæc non auribus tuis dari, sed longe vero minora esse, vel ipsa fatebitur inuidia, cui liberalior omnis laudatio, seruilis assentationis illecebræ, & mangonius fucus videtur. Tu omni laude maior; laus enim hominum est, cultus, & veneratio eorum, qui inuidiam supergressi, humani fastigij mensuram, & fortunam excesserunt.

Patere igitur summe Virorum, non nomine modo tuo, quod vbique terrarum legitur, Mineruæ clypeum iterum sacrari, sed quæ tua facilitas est, meum quoque ibidem legi, vt olim Phidias suum eidem, aduersus æui impotentiam inscripsit. Sic venturi me, teque legent, opusque in ipso ortu periturum, fato tuo veniet in ora hominum, & nullo tenebris damnabitur æuo. Vale.

Patauij Nonis Nou. M. DC. LXXV.

OCTAVII FERRARII
TVRBATÆ PALLADIS ARMA
Prolusio XXXII.

Alacris iste vester, & blande renidens aspectus, sicut animum meum incredibili voluptate perfundit, ita tristi recordatione eundem restringit, & macerat, quoties in mentem reuocat, non defuisse, qui nobilissimum hunc cœtum, inclementer perstringeret, & per meum latus dignitatem vestram peteret, ac splendorem maculare conaretur. Nam cum vertentis anni auspicijs Mineruæ clypeum, literarum, ac professorum tutamen, non sine caueæ assensu Musarum postibus fixissem, repertus est, qui eum sibi pro scopo poneret, in quem fetuenti tincta veneno spicula contorqueret, quanquam illa solido vmbone repulsa in auctorem resiliant. Quis ille incertum, aut quibus editus oris, quidue dolens, illiberale hoc facinus aggressus sit.

Summa iniquæ accusationis fuit, quod uos immodice, atque intemperanter laudauerim, nobilissimam, ac florentissimam iuuentutem appellans. Atque ita fœdæ adulationis, cuius tamen nullum pretium est arcessor, quasi palpum obtrudens, ac supparasitans, gloriæ vestræ lenocinando, insidias auribus faciam. Accusor quod accusationis tela non distringo, alienæ laudationis pœnas pendo, honestæ aduocationis reus peragor, & quod benedixerim, maledictis impetor.

Eousque prouecta licentia, vt Principis, totius Orbis, totque seculorum consensu, atque ingeniorum certamine, laudes eius personante, nunquam tamen satis laudati prædicatio, seruilis pariter adulationis inuidiam sustineat. Principis, de quo illud, quod de Atheniensibus Demosthenes dixit, iure vsurpare possumus: Athenienses, eas res gessisse, quas, vt omnes celebrare perpetuo gestiunt, sic pro dignitate ornare nemo vnquam potuit. Principis laudatio pietas est, obsequium, ac debitæ venerationis tributum, ác fidei pignus. Immo veteres, magnam Principis mercedem, & lucrum esse, dixerunt, si a laudatis laude-

tur: si nomen eius celebretur ab omnibus: si, vt ait Pindarus, florem linguæ ciuium, & peregrinorum accipiat: si beneficiorum nomine, vice Numinis colatur. Laus inquam Principis plusquam laudandi, tam longe à specie adulationis abest, quantum a seruitute, & necessitate.

Quid plura? eiusdem Principis admirabilis, ac prope diuina clementia, sine qua hoc illis impune non esset, illa paternæ pietatis viscera, leuiores iuuentutis lapsus leniter æstimantia, nimiæ indulgentiæ arguuntur, & huic, tanta animi nox est, euersi adolescentium mores, & pacis turbamenta imputantur. Quid hoc aliud est, quam more Gigantum cum superis bellare: supremas potestates humili veneno aspergere, excitare Tragœdias, carnificem, & laqueum minitari, & Draconis leges sanguine conscriptas inducere? Cum nullum hodie in terris Veneto Imperio mitius habeatur, vt illud Clementiæ templum merito appellare possimus, ritu scilicet Atheniensium, qui Misericodiam, non pro affectu, sed pro dea coluerunt.

Est quidem coercendis flagitijs & enormioribus delictis sua seueritas, & legum rigor inflexibilis: sed leuioribus noxis, inter tot peccandi irritamenta, parata venia, & mansuetudo: & tam Princeps, quam pater, pudore, ac liberalitate liberos retineri, satius credit, quam metu, infido recti magistro. Quare sanabilia iouentutis ingenia, beneficijs, quam pœnis experiri cupit, nec pœna semper, sed sæpius pœnitentia contentus est, mauultque suffundere sanguinem, quam effundere, atque illuc currere lachrymas iubet, qua cruor iturus erat.

Ex eadem ingenij acerbitate est, culpare eos, & in inuidiam adducere, qui mulcendæ iuuenilis iræ, tot annorum vsu artifices, conciliandis diffidentium animis, & in concordiam redigendis, non sine sui inter furentes discrimine, strenuam operam impendunt, atque efferuescentes in illo ætatis freto inconsultæ iuuentutis fluctus, in perniciem erupturos, componunt.

Quod ad me attinet, diu est, cum nihil admirari, vrentesque oculos, atque ora pallentia contemnere didici, ex quo me sors, incertum fauens, an infesta, his terris applicuit. Ex eo tempore voti modicus, ac presso lare, nemini os lædere: diligenter amicis, famæque eorum seruire: studio, atque officio cum omnibus certare: opis, & consilij, & calami, quantulamcumque copiam facere: hanc Vrbem, alteram mihi patriam, ijs laudibus ornare non semel, atque extollere, quibus exteri inuideant, ciues non esse assentationem facile credant. Donec non ignarus, quanta tempestas immineret; tædio cætus, vt vitarem oculos hominum, si linguas minus facile possem, secedere e medio, & nec ignotus Principibus, & qualicumque fama contentus, in vitæ spatijs interius flectere constitui.

Neque

Neque tamen æruginis morsus effugere licuit. Sed Regium est, cum benefeceris male audire. Præstat ab hoc hominum genere carpi, quam laudari. Quis enim laudatur melius, quam cui ab illaudato maledicitur? Non est nostrum caninam facundiam exercere, & conuiciorum serram cum illis ducere, cum quibus collidi sordidum, vincere inglorium. Alioquin si irasci tanti esset, parata erat recriminandi materia: & nos tela manu pater. Certe nunquam me pœnitebit pro Reipublicæ dignitate, pro vestris commodis, atque existimatione, grauissimas contentiones, inimicitiasque, pericula, & insidias subijsse, paratum, si res poscat, spiritum ipsum, & vitæ fugientis quod superest impendere.

Inuitus quidem, & reluctante genio ad hoc refractarium dicendi genus compellor, & à perpetuo laudandi officio, ad accusandum descendo. Hoc tamen temperamentum adhibebo, vt nihil pro me: sit illud tantum, quantum vos existimatis: pro vestra dignitate, cui inopinata hæc labes aspersa est, pauca dicam: vt demum tota hæc non accusatio sed defensio, ex vetere instituto, in uestram laudem, & duraturam nominis memoriam conuertatur.

Ergo vt illuc præuortar, grandis mihi dica impingitur, quod eam iuuentutem pudenda assentatione, nobilissimam appellauerim, quam, paucis exceptis, ex gentium colluuione, & vltima vulgi parte conflatam, pertristis patruus, ac Censor comminiscitur. Quasi in hoc celeberrimum toto Orbe Athenæum, totius Orbis hospitium, sapientiæ domicilium, Musarum delubrum, scientiarum omnium Oraculum, Dardanios rediuiuæ Troiæ penates, ac fatale Palladium, Vestales focos, quibus literarum æternitas constat: quasi inquam in hanc Iliaci, Græcique sanguinis, ex victis, & victoribus mixtam Coloniam, populorum fex, & Vrbium purgamenta transcribantur, misera, & ieiuna plebecula, sordentes opifices, & sellularij, immò pagorum agrestis, & incondita turba, siliquis, & grandi pasta polenta, montani, & rupicolæ, antiquæ matris ossa vertere soliti, aratro, & armentis relictis, squalidi, senti, pannisque obsiti, huc confluant, omniaque ruris contactu polluant, & dehonestent. Dij immortales, cupio aliquo peruenire, vbi nec Pelopidarum nomen, nec facta audiam.

Siccine paucis exceptis? Imò contra statuimus, & res ipsa, vel inimico iudice, euincet, verè paucis exceptis, plerosque, omnes Vrbium, nobilissimarum, totiusque culti Orbis florem delibatum, Europæ ver, Reip. spem, & gaudia, magnarum domorum subolem, procerum, atque optimatum propaginem, vetustissimæ nobilitatis posteros, ingentium virorum nepotes, quique in patria aut regnum obtinuerunt, aut magnis exercitibus imperitarunt, aut rerum capita fuerunt, generosam progeniem, has sedes concelebrare, & ibi ad celsioris fortunæ spem

assurgere, vbi ipsorum maiores generis claritatem virtute superarunt; quorum gloriam recenti laude renouatam, non modo speramus, sed etiam videmus.

Quot enim ex hoc non plebeiorum, & agrestium ergastulo, sed equo vere Troiano, & olim prodierunt, & hodie ad rerum culmen emergunt? & aut tribunalibus sublati rem populi tractant, fataque mortalium regunt, & quadam altæ potestatis societate, de fortunis, & capite ciuium, sententiam ferunt? aut Imperij adytis admoti, consilij ope regnantes fulciunt: aut in Themidis sacrario cortinas, & tripodes mouent: aut de suggestu ciuica iura respondent, & aureos sapientiæ latices, bibulæ iuuentuti propinant: aut rostra quatiunt, & vocem alteri commodantes, oris censu in ea ciuitate regnant, vbi nullus, nisi vitiorum mancipium, seruus est, & Picos, qui aureos montes colunt, diuitijs superant, &, quoties limine pedem extulerunt, clientium gregibus stipati, suspensa ciuium ora, votaque in se conuertunt, aut demum in ipsa sacrorum Regia, non fortunæ ludentis, sed Romanæ sapientiæ Rotam, rerum humanarum moderatricem versantes, certiora Phœbo oracula fundunt.

Quot apice, ac lituo, & veste pauonum imbuta lepôre præsignes, infulas ipsas condecorant? Quot Tyrio iterato murice, & beati conchilij cruore florentes, fastigium summo proximum obtinent, & summi spem non improbe fouent? Hoc optimatum, & principum seminarium est: hæc animorum obstetrix: hæc Ephesia Diana, toto corpore mammis, & vberibus exstructo, innumeris mortalibus lacteam opem immulgens: hæc aurea catena è Iouis solio demissa, qua literarum Indigetes in Cœlum subducuntur: hoc immortalis gloriæ Capitolium.

Quis Venetorum natalibus inueniet quidquam sublimius? Atqui, quæ summa dignátio, eorum liberi, quamquam olim frequentiores, quando literarum tædium, & contemptio quotidie gliscit, circaque alia mentes hominum detinentur, & blando desidiæ veneno, cum seculo studia consenescunt: horum inquam liberi, heic se sponte in ordinem cogunt, & vna cum subiectis principatum, & libertatem miscentes, parendi simul, & imperandi artes, ac disciplinam condiscunt; & cuncta diu recturi, reguntur, & eius prudentiæ, quæ tam vasti Imperij moli, atque Orbi consulenti par est, elementa trahunt, ac principali contubernio has sedes sacrant, atque eadem studia æmulantes nobilitant. Tam hic, quam in Vrbe vnde in omnia regimen, inter ipsos dominos, æqua libertas, sociati penates, ac promiscuus vsus, & veluti Saturnalium licentia, regnantes, quique regnantur, eadem exedra, eadem subsellia capiunt, & communi Musarum mensa, ex eadem patera sapientiæ nectar, summi, & infimi ducunt. Solus frontis honos, sola grauitas, & inter procaces modestia, iura daturos à plebe distinguit. Præclaro subiectis populis

pulis documento, & solatio, quam faciles, quam mites, & sapientes dominos sint habituri. Quin & ipsi senes interdum, quorum nutu, ac supercilio publica res nititur, habitata quondam hospitia, cum voluptate reuisunt, & Pompeij Magni exemplo laureatos fasces his foribus submittunt, & professoribus, quorum animas farre suo tuentur, & ære, æquissimas aures commodant, & ab Orchestra in popularia transcendunt.

Sed quid dixi paucis exceptis, nobilissimum quemque hæc loca frequentare? Neminem vnum, hinc excipi ius fasque est. Nam etsi quidam sunt, quos nascendi sors in turbam genuit, & iniqua fatorum lex, res communes male diuidens, innoxia paupertate damnauit; quum primum huc appulere vulgo eximuntur, atque inter minorum gentium patricios allecti, natalium tenebras clara luce discutiunt, atque ingenuitatis, & equestris annuli iura vnà cum laurea consecuturi, futuram nobilitatem auspicantur, quæ in quibusdam, aliena tantum, & inutile nomen iactantibus, consenescit, ac desinit. Disciplina, atque institutio pares aut accipit, aut facit, & studiorum sodalitas, quos comparat, æquat. Virtus omnibus patet, neminem excludit, & vt ait Romanus philosophus, nullus non Rex à seruis, nullus non seruus à Regibus ortus est.

Virtus inquam Cœlum recludens immeritis mori, occupanti parata, non est seminis, sed rectæ institutionis, sed laboris, & exercitationis fructus, clarior inter obscuros, addente stimulos, atque industriam acuente recti magistra paupertate, cum fortuna premendo advigilare iussit; non exigua nobilium parte luxu, ac delicijs fracta, & torpente, sero aliena incrementa non æquis oculis limante. Sæpeque euenit, vt nouos istos, ac municipales equites, Cecropides indoctus, cui sicut in statua nihil præter nomen est, sectetur, & colat, prenset, ambiat, illisque vectigal pendens, se ac fortunas suas trepide commendet. Alibi nascuntur nobiles, hic fiunt, imò ex se ipsis nati, sibique omnia debentes, inanes, atque adscititios humanæ superbiæ titulos haud quaquam inuident.

Neque tamen magna capite censorum turba Gymnasium arctat, & statum popularem inducit, longe maior adolescentium de summo loco numerus, ex nobilissimis prouincijs, ex opulentissimis Vrbibus, ex antiquissimis familijs, ex toto terrarum Orbe, auitæ nobilitatis præsidia, & incrementa hinc petit. Huc inclyta Germania, illa Romanis aquilis imperuia, triumphataque magis, quam domita, illa Imperij Sedes Augusta, natos suos mittit, vt sapientiæ præceptis animum componant, & altioribus studijs enitescant, non laboris modò, atque industriæ, sed modestiæ, & mansuetudinis specimen, ac documentum ceteris præbituri. Indidem Batani, Sueci, Dani, atque Heluetij, totque liberæ ciui-

tates, & respublicæ, totque alij populi, armorum gloria fulgentissimi; quondam contumeliosè barbari appellati, nunc rectissimis studijs, atque optimis artibus, & florentissimis Academijs, vsque in Italorum inuidiam exculti, quærunt in hac terra, quod patriæ laudi, ac solertiæ adstruant.

Nequaquam illi inopes, atque hominum mendicabula, sed vt liberalior indoles, & ingenui sanguinis facies, cultusque, & vitæ splendor eximius, & tam longinquis itineribus, & diutinæ in his locis moræ sufficiens sumptus testatur, præclara in re ciuitatis suæ principibus adnumerati. Quin & ipsa Sarmatia, totoque Orbe diuisi Britanni, atque vltima Thule, ac rigidi Septentrionis tractus, & mundi extrema, licet sæuissimo bellorum turbine concussa, Senatorum, ac Palatinorum germina huc destinant. Neque ita dudum Gallica, atque Hispanica nobilitas hæc subsellia numerose implebat, nullaque Orbis pars vacabat, quæ spes suas, ac vota huc non transmitteret.

Vt nihil hic de Italia dicam, ipsiusque Italiæ regia, totque Vrbibus amplissimis, hinc animi cultum, vt dignum indole Latia, petentibus. Nunc parcius, postquam tot nouis Academijs, totque subnascentibus quotidie scholis Hesperia oppleta est, hocque, & Bononiense Gymnasium membratim conuulsum, & in partes distractum, veluti misso sanguine elanguit: hæcque duo exundantia literarum flumina, quæ ceteris famam, aquasque auferebant, tot fossis conscissa, & in ignobiles riuos diducta; vt olim Gyndes ab irato Cyro dispersus, minore gloria inopes vndas trahunt. Cum olim sola Bizantium, & Berytus Iuris oraculo toti Orbi sufficeret.

Ipsa Tridentum semigermana Vrbs, Latio infusa, vtriusque prouinciæ genium miscens, Noricamque ferociam Italica lenitate temperans, salubri Cœlo, ac diuite solo læta, sed magis Christianæ religionis Comitijs, & Catholicæ rei summa ibi peracta exultans, iuuentutem suam nobilis otij auidam, ad has scientiarum nundinas dirigit, quæ Italis candorem, Germanis solertiam, atque industriam approbet, emeritis studiorum stipendijs, manu, & consilio, operam, & fidem, Cæsari, atque Imperio approbatura.

Sed fermè ex Veneta ditione, & circumiectis late populis nobile hoc corpus conflatur: hinc robur & lacerti, hinc lætum iuuentutis examen, hinc diues adultæ gentis fœtus, eaque celebritas, vt huius comparatione cætera Italiæ Gymnasia litus, & solitudo videantur. Et ex Vrbe quidem domina, non patricius modo sanguis, vt diximus, sed secundi ordinis, interioris admissionis ciues lectissimi, ex vetustissimis familijs, incomparabili fide, ac sedulitate, arcanorum reipublicæ, veluti magnorum initiorum conscij, custodes tripodum, atque Oraculorum inter-

pre-

pretes, facrorum apicum adminiftri, & Senatus æditimi, in tantæ fortunæ, & fanctioris minifterij fpem hic educantur.

Heic Græcia fcientiarum omnium, non magiftra modo, fed parens, fatis Afiæ preffa, immitis Otomanni reliquiæ, ex illa extrema conuulfi Imperij lacinia, victos Deos, atque Argolicæ nauis laceramenta trahens, Veneta liberalitate excolitur, & fe fuperfundenti; barbariæ ftrenuè repugnans, antiquæ laudis, cui nulla par eft, fugitiuam memoriam egregiè tuetur. Redditæ Helladi Athenæ, & quondam terris doctrinam fœnerata Cecropia tellus, hinc fapit.

Illyris quoque & regna Liburni, & Adriatico obtenta, quondam Adriatici regnatrix Dalmatia, prolem fuam, veluti florilegas apes, Mufarum vireta depafcentes, huc effundit. Quæ furentis pelagi, bellique non vna tempeftate iactata, multifque cafibus defuncta, folatia fati tulit, quod fub Veneta manfuetudine, Imperij fines, & titulos aucturа, conquiefcit, falutis portum nacta, gentium omnium portus, & ftatio fidiffima. Clara rebus geftis, & indomito Slauorum, ideft Getarum robore, Orbi formidata, Turcarum horror, & fcopulus: clarior Cæfarum Imperium abdicantium, prælato terris omnibus fecreto, Vrbibufq; triumphali manu conditis: doctrinæ luce, ingenij vigore, atque animi opibus, & fcriptorum prouentu clariffima.

Et vt ceteras Vrbes locorum pofitu, ac fitu, ne qua fe poftpofitam queratur, breuiffime perftringam, Feltria, & Bellunum Græci, ac Latinis fanguinis vetuftiffimæ, quondam victricium legionum ftatiuis, ad Italiæ tutelam infeffæ, per inculta faxa, culta ingenijs pectora oftentantes, Martio robore, & ftudiorum gloria origini pares, generofa ftirpe has fedes illuminant, decufque ingens Gymnafio adduunt, & accipiunt.

Rhodigium, nominis augurio, florem virorum referens, beata terrarum fœcunditate, prouinciæ horreum, literarum penus, opes fuas huc quoque transfundit, nec difciplinam modo hinc trahit, fed clara docentium nomina Gymnafio commodat, ingeniorum, ac frugum feraciffima.

Taruifium, vetuftate originis haud vlli terræ poftponenda, & fortunæ varietate ad memoriam pofteritatis infignis, peregrino Marchiæ titulo, & vetere Longobardorum folio, plurimis Vrbibus præftans: memorabili in Venetos fide, atra die Cameracenfis latrocinij, quæ prope vltima rebus fuit, recuperati per continentem Imperij initium, & exemplum, fcientiarum rudimenta hic ponit, quibus perinde ac bellica laude femper præfulfit, etiam olim publico Gymnafio inclyta, quod huic noftro infertum, & veluti adoptatum, non leue eius amplitudinis incrementum fuit. Sed ingens Taruifio decus, a tot caftris, ac municipijs

quibus

quibus cingitur, & coronatur, accedit. Quæ sicut frequentia & celebritate, vix Vrbibus concedunt: ita procul ab Vrbium illecebris, & corruptelis, prisca fide, ac parsimonia, antiquis moribus, & inflexibili Iustitiæ cultu, magnum Assessorum numerum, atque inexhaustam Iudicum Decuriam Principi suppeditant. Qui postquam heic industriæ, ac modestiæ specimen dedere, statim a subsellijs, ad Cathedras, & Tribunalia transeunt, incertum maiore doctrinæ, an integritatis commendatione.

Sed nimium quantum se prole tua Gymnasium iactat, & circumspicit, vbere glebæ, & arbusti honore, gaudentis naturæ opus, ac Veneti tractus deliciæ, regia ædium magnificentia cultuque ciuium, ac nitore, cæterarum Vrbium victrix Vicetia. Vbi Cereris, ac Liberi patris certamen, & quod de Campania dictum est, temulentia nobilis succo per omnes terras inclyto, ac Serum vellera prouocans opificium, non perinde miraculo sunt, quam tenuuioris Cœli temperie, ingeniorum amæna fæcunditas, facunda virorum pectora, Veneti fori cura, & blandimentum, ad Iuris nodos, & ænigmata soluenda solers acumen, nusquam vberiore Oratorum fætu, vt plures in illo Imperij, & gloriæ domicilio causarum patroni indidem sint, quam tota simul prouincia nutricula causidicorum numeret.

Ager ipse tot clari nominis castris, ac municipijs consitus, ac redimitus, Vrbi decertans, super rerum omnium pro ventum, nouo miraculo mentem obstupefacit: effossis montibus, & in immensum porrectis cuniculis, per subterraneas specus, & latomias, perpetua testudine suspensus, soloq; in ima telluris demerso, Inferis innoxie admotus: hac ratione hostium insidijs subductus, ciuibus vsque in delicias blanditur. Cum ex illa nocte, ex Aeoli claustris, & ventorum officina, per occultos meatus, & cæca spiracula, lenis aura perflatilis, nobilium Prætorijs gratam opacitatem affundat, in cellis Falerna conglaciet, & medijs furentis signi ardoribus brumam inducat.

Hinc auocat nos, omniumque ora in se conuertit Veronæ pubes generosissima. De qua Vrbe, vt eam Strabo appellat, amplissima, satius est silere, quam pauca effari. Illud dixisse sufficiat, sicut antiquitate, Cœli clementia, & nobilissimæ fertilitatis agro, & Rheticis vinis, Falerno tantum posthabitis, nulli Vrbium concedit: tot olim Regibus, atque Imperatoribus, loci amænitate captis, habitata, & vt eius popularis cecinit, Italiæ semper florentis ocellus: ita admirandis antiquitatis reliquijs, præcipue venerabilis Amphitheatri mole, quo nullum illustrius vetustatis monumentum, hodie extat in terris, temporis, ac barbarorum iniurijs inuictum. Romam ipsam prouocat, & vno septem geminos colles. Vrbs ipsa tota pulcherrimum Theatrum, qua nemoroso vertice tumuli viridantes

tes cuneatim finiantur, & lambente pedes Athesi, multa riparum imagine in vndis ludunt. Præter tot alia Romanæ magnificentiæ imitamenta, quæ veluti alta cadauera ingenti situ obruta, ipsis ruinis, Vrbis opes, & magnitudinem ostentant.

Sed quod est instituti operis, nostriq; argumenti, æterni nominis scriptorum fætura, reliquas Vrbes antistat. Et cum vno, & altero scriptore illæ se iactent, hæc pluribus, ijsq; in genere suo summis iure gloriatur. Nam & lepidum, doctumq; Catullum, & Catullo, ac Ciceroni tantopere laudatum Nepotem Cornelium, & omni laude subliniorem Plinium, naturæ interpretem, & miraculum, & Architecturæ parentem Vitruuium, & argumenti humilitate minime spernendum Æmilium Macrum protulit. Et recentioris memoriæ Domitium Calderinum, inter primos literarum in Italia instauratores: tum Fracastorium, incertum medica, an poetica facultate nobiliorem, vtraq; Apollini acceptissimum: duosq; Scaligeros, non hominum, sed virtutis nomina, qui ipsis Scalanis Principibus, sicut originem debent, ita nomen abstulerunt: vnicumq; Panuinium Romanæ historiæ parentem, & Fastorum reparatorem felicissimum. Præter tot alios, qui vt olim Olympionicæ, immortali laude patriam coronarunt. Nec posteri degenerant, leueris studijs inuigilantes, qui olim dicentur, nunc intelliguntur. Grande vobis incitamentum, ò iuuenes inde orti, iniunctaq; necessitas, tantum decus æmulandi: ne postquam hic ludo, & otio meliores dies contriueritis, vobis iure exprobetur, intrare imbelles in alienum triumphum.

Sed quam te memorem Brixia felix prole virum, totq; Heroum mater fœcundissima? Quæ licet belli studijs acerrima, quibus post Insubres, Cisalpinæ Galliæ princeps semper es habita: nobilioris chalybis venis, & temperatura, ferrum auro mutas, præstantius auro, quia illud tuetur, etsi pugnetur vtroq;, quodam Mineruæ, ac Vulcani connubio, literis omnibus, ac disciplinis remolita, victrici lauro hederas misces, nec minus lymphis, tota Vrbe crepitantibus, quam ingeniorum scatebris irrigua. Quodq; vere de te Magnus Scaliger cecinit. Cœlum hilarum, frons læta Vrbis, gens nescia fraudis. Vere gèns nescia fraudis. Nusquam diffidentia menti verba, nusquam velata blanditijs odia, & peior odio amoris simulatio. Procul fucus, & fallaciæ: antiquus candor, pectus apertum, prisca fides, & simplicitas, ignota seculo nomina, aut irrisa.

Fides inquam cui vix comparari queat altera. Olim in Romanos, flagrante bello Punico, socijs passim deficientibus, constantissimè culta: postea in Venetos, pari belli incendio ambustos, nullis terroribus concussa, nullis fracta periculis, nec vna obsidione, vltra Saguntinos labores, toties vndante ciuium sanguine, tot ducum funeribus, ac supplicijs, nunquam de statu, atq; inflexibili tenore deiecta, publicæ fortunæ labantis

haud

haud leue fulcrum; induratæ aduersis patientiæ nobile exemplum præbuit. Cuius constantiæ, ac fortitudinis merito, magna pars procerum Venetæ nobilitati adscripta, & patricio sanguini infusa, nequaquam Maioribus suis inuidet, quibus eadem illibata fides, Romanæ ciuitatis decus peperit. Sic tantorum auorum numerosa stirps, ex patriæ ferocia, & Musarum mansuetudine temperata, heic ingenti spe, toto simul pectore arripit artes honestas.

Tu quoque non paruam debitæ laudis partem feres Crema, parua quidem, sed fama ingens, quæ rerum præclare gestarum gloriam per terras omnes extendis, fide in Venetos ad vltimum inuicta, resurgentibus asperrimi belli partibus, in eo deficientis prouinciæ angulo, diutina obsidione, vsque ad extrema, acerrimo ministerio sustentatis. Infestis tunc Venetæ rei fatis, obex, & mora. Par quoque pacis artibus, nec literarum indiga: nec minus mollissimæ carbasi, nebulas æquantis, & sindonis in delicias expetitæ, liciorumque, quam ingeniorum subtilitate nobilis.

Extrema hinc prouinciæ pars, non vltima laudum, Imperij limes, ac frons, nos ad se rapit. Vos miror celsa Orobiorum Pergama, tam situ, quam literarum cultu sublimia: scandentes è vallibus arces: Cœlo contermina Parnasi iuga: Cyrrhea Torquati antra, vix Andibus concessura, & affixum scopulis Pierij oloris nidum. Sed magis miror, veteribus proditum, Orobios, altius, quam felicius sitos esse. Quanta enim felicitas, veluti in specula, subiectam oculis immensam planiciem despectare, flauente messe, & viridanti gramine pictam: tot intercurrentibus amnium venis distinctam: tot collibus generoso palmite, atq; olea vestitis, consitam? Quid tenuissimi Cœli, ac purissimi Solis tractu vitales auras carpere? Quodq; præstantius est, labore, & patientia domare cautes, & soli asperitiem mitigare, atq; exundantem incolarum multitudinem, per cuncta terrarum dispersam, parcum genus, & quæsiti tenax, sedulo ministerio, quæstuq; minuto, & institoria solertia, breui ingentes opes accumulare, eo acumine, & sagacitate, qua facile capiantur quicunq; ex rudi, pinguique plebis loquela, atque oris tumultu, tardas mentes, & hebetes animi motus, falso conijciunt.

Sed summa felicitas est, dare magnis exercitibus Imperatores, dare literas, & per omne æuum victura scriptorum nomina, & præter tot iuris, & antiquitatis peritia insignes, præter Epici carminis tubam, Petrum Maffeium tulit, styli maiestate, & eloquentiæ flore veteris Historiæ scriptoribus æquandum, & nouo Orbe patefacto, Latinis literis illustrato, cum ijs, qui eum aperuere, merito decertantem.

Verum quo tandem narrari debet opere altera Venetæ prouinciæ pars, ingens ipsius prouinciæ, totiusq; Italiæ decus, ac munimentum Iulij Forum? Regio ob eximias Cœli, soliq; dotes, perpetuo gentium pro

catu

catu appetita, poſt diras clades, ſeruitium, imperiumque fortuna variante, potentioris præda primum, mox ſedes, donec iugum fortiter eluctata, Venetum Cœlum clarius faceret: ſuper Iulij conditoris nomen, totq; Cæſarum, & Longobardorum ſceptra, ſola ex omnibus, ſacrum, & venerabile PATRIÆ titulum, ab ea Vrbe promerita, quæ libertatis parens, ac gentium alumna facta eſt. Tu hoc ipſo felix, & eminens, quod ſola filia minor es.

Olim quidem gelido ab axe prouentis barbariæ porta, atq; Arctoæ tempeſtatis ſpecula, nunc Italiæ clauſtrum, & murus ahæneus, Turcici Impetus repagulum. Sed firmiora mœnibus ciuium pectora, toties Scythico acinaci obiecta. In medio dat iura gentibus Vtina, non paſtorum, & conuenarum aſylum, ſed ex totius Italiæ, barbaris inundatæ naufragio ereptæ lectiſſimæ nobilitatis portus, & perfugium, mixta tot Vrbium decora, & virorum prima complexum.

Verum ne tot naturæ vſq; in delicias indulgentis, totque fortunæ muneribus intumeſceret, diſiectum in proximo, olim Capitolio decertantis Aquileiæ putre cadauer, ac buſtum reſpicit: ſuperba fati imperia victuris æternum ingenijs repenſans: præter tot Themidis Antiſtites, amænioris literaturæ proceres, Cornelios Gallos, totque Amalthæos, Robertellos, geminos Aleandros, Palladios, Perſios, Orbi largita: implente ſublimium poetarum mentes generoſi lyæi nectare, & Caſtalio rore, ac Muſarum fluentis potiore Pucino, olim Auguſtæ potu, ac viuacitate, Setinis, ac Falernis prælato, nunc principum menſis, inter vina principatum adepto. Hæc igitur regio, quæ tot florentia profeſſorum lumina Gymnaſio dedit, dat quoque æmulam tanti decoris iuuentutem, Spartana nobilitate, nulla in parte maioribus conceſſuram.

Vltimum Italiæ latus Hiſtria, orationem quoque noſtram claudet: auſa quondam Romana arma laceſſere, ac frangere: & cum ipſis Venetæ rei primordijs, de maris imperio, & virtute contendere: poſtea maritimæ gloriæ, totque expeditionum ſocia & particeps, nunc quoq; fide, atque ingeniorum cultura cum ceteris Vrbibus contendit, quantumque ob præclaræ iuuentutis inſtitutionem Gymnaſio debet, tantundem decoris, communicatis eidem, nunquam interituræ gloriæ profeſſoribus, circumfundit, & imputat.

Hæc tot Vrbium laudatio, rudis illa quidem, & laudis inops, vero minor, ac merito impar, in hanc Vrbem redundat, in quam veluti in Oceanum, tot nobilium amnium capita influunt, & ditibus vndis inde recurrunt. Redundat in Principem vniuerſa, cuius inaudita liberalitate, transferendo huc, quod vſquam egregium fuerit, Gymnaſium viret, floretque, & per eminentiſſima cuiuſque profeſſionis ingenia, caneſcet ſeclis innumerabilibus.

Qui

Qui hanc assentationem esse credi postulat, næ ille sub larua latens, se non esse huius patriæ ciuem manifestò prodit, sed peregrinum aliquem Vrbis huius gloriæ infensum. Nemo enim, nisi cui patria nouerca sit, præcipuum patriæ ornamentum, ac decus, quo ceteras Vrbes supereminet, & suo sibi beneficio obstrictas habet, conuelleret, atque immerentes hospites periculosis salibus laceraret, & alterius famam cum suæ damno proscinderet.

Me quidem nunquam pœnitentia subibit, Vrbis studiorum parentis, atque alumnæ, totque aliarum, illam liberorum pignore nobilitantium laudibus liberalius indulsisse. Sit sane ista assentatio, dummodo nemini displiceat, nisi inuido. Certe honestius est, & tutius, Principi optimo, tanquam parenti, & surgentis iuuentutis spei, tamquam liberis, blandiri: quam aut falsa doctrinæ persuasione sibi assentari, aut in ostentationem scenæ gaudentis opprobrijs, alienæ laudis obtrectationem populo gratificari. Nos interim, vt placemus istos, quibus non satisfacimus, quia viuimus, Pallori, ac Febri sacra faciemus.

F I N I S.